



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Mors mariti an per famam, & alia probetur, iudex arbitrabitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

fuisse, eam veneno secreto mori faciat, ad bona hæredibus vxoris virtute prædictæ clausulæ tenetur; quia non licuit ei vxoris inortem procurare, & fornicatio Matrimonium præcedens, neque vxori, neque hæredibus eius quidquam obest. cap. Quemadmodum, de iureiur.

DECISIO III.

Ex cons. 2. in Nouis, deest in antiquis.

- 3 **M**aritus vxori suæ mille aureos in augmentum dotis donans, & donationem illam non reuocare iurans, ad mortem veniens nihil ex illis etiam in opera pia legere potest, nisi ius aliquod municipale obfi, & si de facto donet, vxor legata illa soluere non tenetur ex Cou. p. 2. rub. de testam. num. 10.

TITVLVS XIV.

De Secundis nuptijs.

SUMMARIUM.

- 1 **Mors mariti an per famam, & alia probetur, iudex arbitrat.**

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtr. s. que.

- 1 **V**xoreo quod vnus testis audiuit maritum suum valde ægrotare, & alter deponit famam publicam esse de morte illius secundo nubere non valet, nisi ex alijs signis, & coniecturis iudex prædictam mortem satis probatam esse arbitretur. cap. Præsentia. de sponia. & Pan. ibi. Coua. in epit. super 4. dectet. 2. p. c. 7. §. 3.

Finis Libri Quarti.

DECISIONVM

CASVVM

CONSCIENTIÆ

Ex doctrina Consiliorum Martini ab Azpilcueta Doctoris Nauarri collectarum

LIBER QVINTVS.

TITVLVS I.

De Accusationibus, & inquisitionibus.

SUMMARIUM.

- 1 **C**onfesso proprium crimen contra participes non credendum.
- 2 **A**ccusatus de crimine pendente lite promoueri potest.
- 3 **J**udex, qui bona fide indiciorum copiam non dat, nec peccat, nec restituere tenetur.
- 4 **F**iscus per confirmationem non succedit prohibito alienare.
- 5 **E**xcommunicari nemo potest pro culpa præterita, nisi sit notoria, vel iam damnatus parere recusat.
- 6 **O**ffensus tuta conscientia apud iudicem instare potest, vt delinquens puniatur.
- 7 **C**orrectio fraternalis a denunciante, an omitti possit.
- 8 **I**nquisitionis iudicium infamia præcedere debet.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 3.

- 1 **R**egulari Apostata confitenti coram quatuor, aut quinque se cum aliquo viro probato & optimæ famæ eiusdem regulæ crimen pessimum commisisse, non est credendum, neque talis ad alterum accusandum admitti debet, nec Prælati religionis contra dictum patrem ex solo dicto illius Apostatæ procedere potest; Non solum ex eo quod testi-

monium vnus, nullius testimonium esse dicitur, cap. cum a nobis. de testib. sed etiam quia infamia est infamia iuris & facti, & criminosa, & proinde ab accusando repellitur; cap. Prohibentur. 2. q. 1. & cap. omnipotens de accus. & confitenti crimen proprium nefandum non est credendum de partici. illius criminis ca. 2. de confess. Vnde nec Prælati contra telem aut per viam inquisitionis procedere potest; quia non præcessit sufficiens infamia exorta legitime a benivolis, sed tantum a maleuolis, quæ ad sic procedendum non sufficit: cap. super his; cap. inquisition. cap. qualiter, & c. quando de accusat. Aut per viam denunciationis, quia non præcessit fraternalis correctio; Aut per viam accusationis, quia non adest legitimus accusator.

DECISIO II.

Ex cons. 2. 3. alias 6. 7.

- 2 **A**ccusatus de crimine pendente lite, ad beneficia, aut alios honores & gradus promoueri potest; Alioquin enim maleuolis facillimè via patet bonos & probos impediendi ab acquisitione honorum; & beneficiorum per concursum, quod absurdum est, & ita non dicendum: I. Nam quod absurdum ff. de bon. liber. Sed tunc solum per accusationem promotio impeditur, quando contra promouendum apud bonos & graues viros infamia & accusatio orta est, secus autem quando ab inimicis & maleuolis oritur. cap. omnipotens. cap. qualiter, & cap. quando 2. de accusat.

DE.